



Disputatio juridica inauguralis de beneficio excussionis

<https://hdl.handle.net/1874/345788>

47.

D I S P U T A T I O J U R I D I C A
I N A V G U R A L I S
D E

BENEFICIO EXCUSSIONIS,

Q U A M,

F A V E N T E D E O O P T . M A X .

Ex Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

M. JOHANNIS LEUSDEN,

Philosophiae Doctoris , & Linguae Sanctæ in Illustri
Academiâ Ultrajectinâ Professoris Ordinarii ,

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academicus consensu , & Nobilissima
Facultatis F U R I D I C A E Decretò,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis ,

Publico Examini submittit

ARNOLD HILDEBRAND , BREMENSIS.

A. D. 20. FEBRUARII , hora locoque solitis.



T R A J E C T I ad R H E N U M ,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA , Academiæ
Typographi , c l c x c i v .

VIRIS

Magnificis, Nobilissimis, Consultissimis, Excellen-
tissimis, Amplissimis, atque Prudentissimis

DN. DN. DN.

CONSULIBUS.

SYNDICO

SENATORIBUS.

Inclytæ & Liberae Imperialis Republicæ

BREMENSIS,

Patriæ Patribus Vigilantissimis,

Dominis Patronis & Promotoribus suis
æternum devenerandis.

Se fiaque

*Ex Officinæ Lyranicasci Halmae Academias
ARNOLD HILDEBRAND.*



DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS

DE

BENEFICIO EXCUSSIONIS.

THEISIS I.



Uando debitor moram in solvendo debitum committebat, Jure veteri libera potestas erat relictia creditoris, utrum reum principalem, an verò eo relicto statim ab initio fidejussorem velit convenire. *l. 2. 3. 5. 16. 19. 21. C. de fidejuss. & mandator.* Hæc autem potestas erat limitata *i.* Si in initio contractus aliud placuerit contrahentibus. *l. 5. 19. C. de fidejuss. 2.* Si fidejussor ad id saltem acceptus est, quod minus à debitore exigi potest. *l. 63. ff. de fidejuss. & Mandator.* Cum autem nimis durum & asperum habitum sit, statim ab intio posse fidejussorem conveniri, nisi pactis & conventionibus contrahentium aliter sit dispositum, hinc *Jure Novellarum* constitutum, ne scilicet creditoris permitteretur potestas conveniendi fidejussorem, antequam reus principalis inventus sit non solvendo, vel in totum vel in partem. *Nov. 4. c. 1. Auth. Praesente C. de fidejuss.* Quod beneficium *Jure Novellarum* fidejussoribus indulsum vocatur **BENEFICIUM EXCUSSIONIS**, de cuius natura in præsenti Disputatione agere animus est.

4 DISPUTATIO JURIDICA

I I.

Priusquam autem ipsam rem aggrediamur, prius breviter præmittamus ETYMOLOGIAM & SYNONYMIAM vocis EXCUSSIONIS. Quod ETYMOLOGIAM spectat, illa derivatur ab EXCUTIENDO, excutere autem aliquem, est inquirere in facultates alicujus an sit solvendo, nec ne. l. 1. §. 9. ff. de Magistrat. convenient. l. 2. §. 1. ff. si quis omis̄a causā testām. Hinc Ulpianus in l. 42. ff. Mandu. Executere vires alicujus. Paulus verò in l. 46. §. 6. ff. de Administrat. & pericul. Tutor. & Curator. Excussare tutores dixerunt. Hic igitur per Executere reum principalem, nihil aliud indigitatur, quām inquirere in ipsius facultates, an ex his Creditor suū possit consequi, an verò non.

I I I.

Quod autem spectat SYNONYMIAM hujus BENEFICII, hoc aliàs vocatur Beneficium Ordinis, quia Creditor in conveniendo debet ordinem observare, hinc si prius conveniatur fidejussor, quām reus principalis, certè perverso ordine procederetur, quia debet præmitti causa, quæ agitanda cum principalī debitore, non quæ agitanda cum fidejussore. Joh. Baptista Asinius de Execut. c. 2. n. 13. Hering. de fidejuss. c. 27. P. 1. n. 22. Beneficium Auth. Præsente C. de fidejussoribus. Coler. de proceſſ. Execut. P. 1. c. 10. n. 333. Beneficium Justiniani Cujac. l. 19. Obs. c. 35. Beneficium de principalī prius conveniendo. Coracius de Execuſſ. bon. P. 2. q. 16. n. 2.

I V.

Definitur autem BENECICUM EXCUSSIONIS, quod sit privilegium fidejussoribus concessum, ne ipsi cum effectu possint conveniri, antequam facultates principalis debitoris sint excussæ. Nov. 4. C. 1. Auth. Præsente C. de fidejuss. Causa verò hujus beneficii introducti est (1) Aequitas, ratio enim æquitatis suadet, ut is prius conveniatur, qui solus ex contractu habet utilitatem, quām ille, qui planè nullum inde capit commodum, jam vero in principalem debitorem redundat omnis utilitas ex inito contractu, in fidejussorem autem nulla, ideo etiam bona principalis debitoris prius sunt excutienda antequam cum effectu ad fidejussores possit perveniri. Bacchov. Vol. II. Disp. 28. Th. 5. l. 1. C. D. (2) Ut litium modus abbrevietur, lites autem non abbreviarentur

I N A U G U R A L I S .

tur sed potius multiplicarentur , si statim ab initio Creditor fidejussorem posset convenire , fidejussori enim rursus competeret regressus aduersus debitorem principalem , lites vero , quantum possibile sunt diminuendae . *l. 21. ff. de Reb. Cred. l. 6. ff. de Exc. rei. judic. Ant. Fab. in Cod. lib. 8. tit. 27. def. 1. Carpz. decis. 14. n. 2.*

V.

Datur vero hoc beneficium . I. Fidejussoribus , qui simpliciter pro aliis intercesserunt *Auth. Presente. C. de fidejuss. Anton. Thesaur. dec. 166. pr. & secundum plurimorum Dd. opinionem etiam illis , qui mediante juramento se obligaverunt , quia juramentum solum firmat , quod promissum , nec excludit legiunas exceptions. Struv. Exerc. XLVII. 1b. 43. Ant. Thesaur. dec. 47. n. 4. dec. 166. n. 4. Hering. de fidejuss. c. 27. P. 1. n. 35. & seqq. Maxius ad Ius Lubecens. L. III. Tit. v. art. 1. n. 3. Diss. Gail. 2. Obs. 27. n. 22. Carpz. 2. Conf. 17. d. 5. Hippolyt. de Marsil. de fidejuss. n. 9. II. Habet hoc beneficium fidejussor Indemnitatis . *l. 1. 2. C. de Conveniend. fisci debitor. licet huic verbis expressis renuntiaverit , quae tamen renuntiatio aliis fidejussoribus nocet , & exceptionem beneficii Excussionis extinguit. Carpz. Dec. 14. n. 3. Gail. 2. Obs. 27. n. 13. Köpp. deif. 53. n. 14. & seqq. Hippol. de Marsil. de fidejuss. n. 23. 314. Hering. de fidejuss. C. 27. P. 1. n. 142. renuntiatio enim beneficii Excussionis aduersatur naturae obligationis in fidejussore indemnitatis , qui ex conventione ac promissione idemum debet , quod a principali debitore exigi nequit , ideoque , principalis debitor ut prius excutiatur , necesse est , antequam fidejussor conveniatur , ut nempe possit constare , quantum ab eo creditor consequi possit *l. 116. ff. de Verbor. Obligat. Gail. Köpp. d. 1. Colerus de process. Execut. P. 1. c. 10. n. 450. Goedd. in Consil. Marburg. Vol. 1. conf. 24. n. 221.* imo nec juramentum a fidejusso- re indemnitatis praestitum excludit beneficium Excussionis , quia scilicet juramentum vires suas exercere nequit , priusquam con- stet , quanto minus a principali debitore consequi possit. Carpz. Decis. 14. m. 7. Decius in l. f. ff. Si certum perat.**

V. 116 aliquantum obom. III. De eo fidejussore , qui se ut principalem debitorem con- stituit , magna est controversia inter Jctos , utrum nempe be-

6 DISPUTATIO JURIDICA

neficio Excussionis gaudet nec ne. Affirmativam sententiam defendunt Anton. Thesaurus *decis.* 166. n. 2. Cothmann. *Repons.* 22. Negativam autem Hippol. de Marsil. *de fidejuss.* n. 62. Hering. *de fidejuss.* c. 27. P. I. n. 82. & seqq. Nos autem secundum communem Dd. opinionem distinguimus, an felicit fidejussor, qui se principalem debitorem constituit, hoc fecerit animo novandi, an vero non, si animo novandi, tum non potest prætendere beneficium Excussionis. l. 8. §. f. ff. *de Novat.* Si autem fidejussor se non constituit principalem debitorem animo novandi, tunc ipsi salvum manet Excussionis beneficium l. 8. ff. *de Constitut. pecun. l. fin. C. eod. tit.* Kopp. *deci.* 56. n. 4. & 5. Gail 2. *Obs.* 28. n. 4. Perez. *in Cod. de fidejuss.* n. 24. Struv. *Exerc.* XLVII. ib. 43. Fab. *in Cod. lib.* 28. t. 8. def. 1. IV. Habet etiam beneficium Excussionis fidejussor ipsis fisci, ita ut fiscus prius sit conveniens antequam ad fidejussorem possit perveniri, quamvis enim fiscus alias multis gaudet privilegiis attamen hac in re censetur jure privati. arg. *Auth. Præsente C. de fidejuss.* Franc. *de fidejuss.* c. 5. n. 256. Gails. *de Pace publ.* 2. *Obs.* 16. n. 9.

VIII.

V. Sunt quoque muniti hoc privilegio, ipsi Principes, Comites, Barones & Nobiles pro aliis fidejubentes, idque adeò verum est, quamvis isti fidejussent, sub fide principalis aut nobili, nam nullibi jure expressè cautum reperitur, illos ab hoc beneficio excludi. arg. *Auth. Præsente C. de fidejuss.* Nov. 4. C. 1. Kopp. *Quæst.* 56. n. 11. Dist. Wesenb. P. I. *Conf.* 10. n. 29, 30, & 41. VI. Potest etiam iste fidejussor, qui liberè & sine aliquâ exceptione se solutum promisit, petere, ut prius excutiatur principalis debitor, antequam ad ipsum perveniat, illa enim verba, sine aliquâ exceptione, intelligenda, de frivola & incongrua arg. l. 97. §. 1. ff. *de Verb. Oblig.* Thoming. *decis.* Lips. I. n. 16. Bachov. *Vol. II. Disp.* 28. th. 5. lit. C. D. Hering. *de fidejuss.* P. I. n. 168. Hippol. de Marsil. *de fidejuss.* n. 271. VII. Potest fidejussor quoque, qui intercessit pro debitore privilegium fori habente, beneficium excussionis objicere, modò principalis debitor non sit absens *cap. I. Ext. de for. compet.* quia sufficit, quod debitor possit conveniri coram suo iudice, sibique creditor debet imputare, cur cum eo contraxerit

rit. l. 19. ff. de Reg. Jur., aut fidejussorem ab eo datum efficacius obligari non curaverit. Fab. in Cod. L. 8. tit. 28. def. 33.

V I I I.

VIII. Denique Beneficium Excussionis aliquando etiam locum habet inter ipsos fidejussores. E. G. Caus Sempronio centum dedit mutuo, cui Cajo ipse pro dictis centum dedit duos fidejussores, Sempronius postea proficisciens, dedit illa centum uni ex fidejussoribus, jam queritur an Caus possit agere contra reliquos fidejussores pro dictis centum, an vero debeat agere contra illum, ad cujus manus dicta centum pervenerunt? R. Prius convenientius ille, qui dictam summam accepit arg. l. 65. §. 14. Pro Socio. Quamvis enim omnes fidejussores sint obligati in dicto casu, attamen postquam certò constat, quod tota summa pervenerit ad manus alicujus, primò ipse erit convenientius & excutiendus, quia ille habetur pro principali obligato, reliqui vero loco fidejussorum, & hinc rectè gaudebunt beneficiis fidejussorum. Ideoque si fidejussor potest docere principalem istum Condebitorem emolumenntum negotii esse consecutum, tunc dicere potest; Executias primò principalem debitorem sumptibus meis, & hoc casu creditor tenetur primò excutere principalem istum debitorem, antequam ad reliquos confidejussores possit pervenire arg. l. 7. pr. ff. Commod. l. 60. §. 2. ff. Locat. Hering. de fidejuss. C. 27. P. 1. n. 160. & seqq. Hippol. de Marsil. de fidejuss. n. 65. & 370.

I X.

Visis jam personis, quibus competit, restat, ut videamus etiam personas quibus non competit hoc beneficium. (1) Non datur hoc beneficium patri fidejubenti pro filio l. 3. §. 4. ff. de Minor. l. 8. C. Quod cum eo, qui in alien. Si enim pater juvaretur hoc beneficio, deciperentur contrahentes cum filio nihil habente, pro quo pater se obligavit. Si autem pater se non obligavit, tum saltem pater ex contractu cum filio inito peculotenus potest convenienter. ff. de pecul. Gail. 2. Obs. 27. n. 33. (2) Non habet hoc beneficium fidejussor, qui pro naturaliter tantum obligato intercessit, hic enim non potest excuti, quia nulla actio contra illum competit, & contra quem nulla est actio, contra illum etiam nulla potest esse excusio. Bach. Vol. II. Disp. 28. th. 5. lit. C. Di Hering. de fidejuss. C. 27. P. 1. n. 259.

Bene-

8 DISPUTATIO JURIDICA

X.

Beneficium Excussionis competit ad id, ut principalis debitor prius excutiatur, antequam ad ipsos possit perveniri fidejussores; nomine Excussionis quid veniat supra Th. II. jam explicatum. Imò principali debitore mortuo excusio fieri debet (1) contrà hæredes. *Auth.* *Hoc si debitor C. de Pignor. l. 47. pr. ff. de jure fisci.* nec hoc casu hæredem pupillaris actas excusat, quo minus implimet vel ejus tutor excussionem pati teneatur. *l. 4. C. de Hæredit. Action.* (2) Contra hæreditatem jacentem, hanc autem posse excuti inde patet, quia hæreditas jacens personæ vice fungitur. *l. 22. ff. de fidejuss.* & creditur esse Domina defunctique locum obtinere. *l. 31. §. 1. ff. de Hæred. Instit. l. 13. §. 2. Ad. L. Aquil. Gail. 2. Obs. 27. n. 13.* Hæc excusio principalis debitoris est adeò rigorosa, ut regulariter debeat fieri in omnibus ejus bonis, & nihil ipso relinquendum, quam unica vestis, quam corpus potest tegere, ne nudus incedat. *arg. §. ult. Instit. de Action.*

X I.

Ut autem hoc beneficium possit opponi à fidejussore, requiritur, ut uterque tam reus principalis, quam fidejussor sint praesentes. *Auth. Præsente C. de fidejuss.* Si enim reus principalis absens est à civitate seu jurisdictione judiciis sub quo facta est obligatio, intercessor praesens jure convenitur, ipso autem desiderante, iudex definit tempus, intra quod adducat reum primò convenientium, ipso in subsidium reservando. Transacto autem tempore, compellitur intercessor satisfacere, cessis sibi à creditore actionibus. *Auth. Præsente C. de fidejuss. Nov. 4. c. 1. Struv. Exerc. XLVII. ib. 43.* Quantum autem temporis ipso concedendum, legibus non est definitum, sed arbitrio judicis relinquitur, qui considerat personarum qualitate, & loci distantiam, sufficiens tempus ad eundum & redeundum definit. *Nov. 4. c. 1. Menoch. de Arb. Jud. question casu. 2. & 40.* Idque etiam procedit, si fidejussor dicat, se ignorare, ubi principalis debitor lateat, & ideo petat sibi terminum praescribi, intra quem istum perquirere, invenire & producere possit. *Menoch. d. casu n. 5. & seqq. Hering. de fidejuss. c. 27. P. 1. n. 32.*

X I I.

Quanda ergo fidejussor debitorem latitatem vel absentem jurisdictioni

risdictioni judicis , sub quo facta est obligatio stiterit , tum fit excusso in bonis principalis rei , & si creditor inde debitum suum recepit , ab aliis abstineat , quid enim ei in extraneis erit a debitori completo ? Si vero non valuerit a debitor recipere , aut in partem aut in totum : secundum quod ab eo non potuerit recipere , secundum hoc ad fidejussorem veniat , & ab illo , quod reliquum est sumat . Nov . 4 . c . 1 . Et hoc procedit tam in fidejusfore simplici , quam in illo , qui Indemnitatem repromisit , hoc est , qui , quanto minus a reo consequi poterit , promisit , vel qui in reliquum non exsoluta quantitatis accessit , & hic etiam in solidum tenetur , si principalis debitor omnino non sit solvendo . l . 21 . ff . de Solution . l . 116 . ff . de Verbor . Obligat . l . 150 . ff . de Verbor . Significat . Verbum enim MINUS etiam intelligitur , quando nihil superest . l . 32 . l . 82 . ff . de Verbor . Significat . Hering . de fidejus . c . 27 . p . 1 . n . 152 .

X I I I .

Beneficium hoc regulariter locum habet in omnibus causis , nisi quae excipiuntur , ut causa mercatorum , camporum , nummulariorum ; hinc istiusmodi personae , quando pro alio fidejubent , non possunt dicere . Executias primò principalem debitorem , sed ipsi tenentur solvere , & hoc ita constitutum ex fori consuetudine , quam Jure Consulti introduxerunt , considerando quodammodo tacitam renuntiationem , ob interesse mercatorum præsumendam , utilitatem publicam & præcipuam fidem , quae in dictis personis abundare debet , ita ut saltem summarie &c de plano inter illos procedendum & pronuntiandum sit . Mæv . ad Jus Lutbec . Lib . III . tit . v . art . 1 . n . 9 . Gail . 2 . Observ . 27 . n . 27 . Hippol . de Marsil . de fidejus . n . 8 . Struv . Exerc . XLVII . th . 43 . modò fidejussor ipse sit mercator , & in foro mercatorio conveniatur . Mæv . d . l . n . 11 . Fab . in Cod . Lib . 8 . tit . 28 . def . 3 . Verum licet de consuetudine fori , multiplicatis quæstuosissimis negotiationibus , forsitan haec ita observentur , certum tamen est repugnare Nov . 136 . c . 1 . unde etiam quidam volunt , hoc beneficium mercatoribus non esse denegandum , quia Leges omnibus sunt communes . l . 3 . 9 . C . de Legib .

10 DISPUTATIO JURIDICA

Non sufficit fidejussores scire, quænam beneficia ipsis competent, quibusque gaudent exceptionibus, nisi etiam probè callent, quando iisdem opportune uti possint. Fidejussores igitur à creditoribus conventi, Exceptionem Ordinis sive Excussionis in judicio tenentur opponere, nam si omiserint istam exceptionem judicium contra ipsos procedit l. 10. §. 1. C. de fidejuss. Gail. 2. Obs. 27. n. 2. Hering. de fidejuss. C. 28. n. 5. Parte enim non opponente multa possunt fieri, quæ alias non fierent. Hering d. l. n. 6. Hæc verò Exceptio regulariter ante Litis contestationem est opponenda, est enim Dilatoria Nov. 4. c. 1. Gail. 2. Obs. 27. n. 3. Struv. Exerc. XLVI. th. 6. differens tantum causam & litis ingressum impediens, & hinc non nisi ab initio & ante litis contestationem opponenda l. 19. C. de Probat. l. 12. C. de Except.

X V.

Postquam hactenus explicatum, quando beneficium Excussionis locum habeat, restat jam ut videamus quando illud cesset. Cessat autem I. Quando ei renuntiatum Nov. 136. c. 1. Gail. 2. Obs. 27. n. 21. Coler. de Process. Execut. P. 1. c. 10. n. 336. Ad quod non sufficit renuntiatio generalissima, quâ quis renuntiat omnibus auxilio & beneficio, hujusmodi enim verba planè sunt incerta, & carent notâ specificâ demonstrationis ac proinde nihil operantur. l. 56. §. 3. ff. Mandat. l. 40. pr. ff. de Jur. Fisc. Non tamen opus est specialissimâ, quâ quis in specie renuntiat beneficio excussionis, sed eti nulla species sit expressa, tamen si renuntiatum sit omnibus beneficiis fidejussorum, non dubito, quin per talem renuntiatiōnem beneficium Excussionis sit sublatum, quia mentem renuntiantis non minus perspicue aperit, quam si specialiter beneficium excussionis fuisset nominatum. Mæv. ad Jus Lubec. l. III. Tit. V. art. 1. n. 7. Hering. de fidej. c. 17. n. 42. Bachov. Vol. II. Disp. 28. th. 5. lit. C. D. Struv. Exerc. XLVII. th. 43. Imò hoc multò magis procedit, si uno altero beneſicio fidejussorum in specie enumerato, subsequatur clausula generalis, de non utendis aliis omnibus & quibuscumque beneficiis. Mæv. d. l. n. 8. Köpp. De-

sis.

sif. 53. n. 13. Verum ut renuntiatio possit suum effectum producere, requiritur, ut renuntians sciverit ubi talia beneficia competere, nam si ignorans istiusmodi beneficia sibi competere, illis renuntiat, renuntiatio nihil operatur, non enim videtur quis renuntiasse juri, quod ignorat sibi competere. *l. 5. ff. de Transact.* Ideo renuntians debet esse certioratus, aut alias certus de beneficiis sibi competentibus, ne renuntiatio censeatur adjecta potius ex more Notariorum, quam scientiam & mente fidejubentium. *Gail. 2. Obs. 27. n. 24.* *Mæv. ad Jus Lubec. L. III. Tit. V. art. 1. n. 8.* *Hippol. de Marsil. de fidejuss. n. 36. 37.*

XVI.

II. Cessat hoc beneficium, quando fidejussor notoriè non est solvendo, quo casu fidejussor conventus non potest objicere exceptionem non factæ excussionis, frustra enim is excutitur, qui nihil in bonis habet. *l. 6. ff. de Dolo Malo* *Gail. 2. Obs. 27. n. 14.* *Mæv. ad Jus Lubec. L. III. Tit. V. art. 1. n. 18.* *Hippol. de Marsil. de fidejuss. n. 10.* Probatur autem illa notorietas. 1. Per famam vicinorum, quibus notum fit, principalem debitorem amplius nulla bona possidere. 2. Si bonis cessit, tum enim constat eum solvendo non esse, modò cessio bonorum legitimè facta sit. *l. 6. ff. de Dolo Malo.* (3) Si debitor jurat se nulla bona habere, in quibus fieri possit excusso. 4. Si ipse fidejussor confitetur in iudicio, principalem debitorem non esse solvendō. 5. Si publici ministri missi ad inquirendum in bona principalis debitoris referant, nulla vel exigua bona principalis debitoris existere. *Gail. d. I. Hering. de fidejuss. c. 27. P. 1. n. 201.* *Coler. de Process. Execut. P. 1. C. 10. n. 341.* III. Hæc Exceptio non habet locum, si debitor in longinquis regionibus sit absens, ita ut sine magna difficultate conveniri, non possit nam hæc absentia Creditori non debet nocere. *Auct. Praesente. C. de fidejuss. l. 35. s. 2. de procurat.* Absentia quoque inopie solet comparari. *Gail. 2. Observ. 27. n. 35.* *Hering. de fidejuss. C. 27. P. 1. n. 262.*

XVII.

IV. Non est Ordinis Exceptione repellendus Creditor, qui suæ securitati consulere voluit contra reum principalem, qui non est facile conveniendo, aut efficaciter, utpote, quia est potens,

12 DISPUTATIO JURIDICA

injuriosus , rixosus , & existens in loco , quo tutus non est accessus : quo casu inducitur notorium facti ; debitorem non esse solvendo , notorium enim inducitur non solum ex defectu facultatum debitoris , sed etiam ex difficultate convenienti . h. 2. ff. Qui satisdar. cog. Gail. 2. Obs. 27. n. 25. Et sic dicitur non solum debitorem non esse solvendo facultatibus , sed etiam dicitur non esse solvendo , quando propter potentiam exigi non potest . Mæv. ad Jus Lubec. Lib. III. Tit. V. art. 1. n. 19. Hippol. de Marsil. de fidejuss. n. 10. V. Non potest uti hoc beneficio fidejussor , si succedat debitori , nam tum non convenitur , ut fidejussor , sed ut haeres debitoris l. 3. ff. de separat. Hippol. de Marsil. de fidejuss. n. 20. Mæv. ad Jus Lubec. Lib. III. Tit. V. art. 1. n. 25. Imo quamvis haereditatem cum beneficio Inventarii adierit , attamen ultra vires haereditarias potest conveniri Mæv. d. t. n. 26. Nam fidejussor haeres existens ei pro quo fidejussit , non tantum quasi haeres rei tenetur , sed etiam quasi reus obligatus h. 5. pr. ff. de fidejuss. Cum igitur reus mortuus in solidum fuerit obligatus , & fidejussor ejus personam repreäsentet , sequitur bonis rei & fidejussoris consolidatis , unum jam esse patrimonium , atque ejus nomine fidejussorem tanquam reum in solidum tenerim Helsing. de fidejuss. c. 20. §. 16. n. 41. anod alio d. istud tunc dicitur (5) . quia dicitur in aliis invenimus talium X. V. I. I. . oīlūwā illiā iōfī aud VI. Cessat hoc beneficium excussionis , si fidejussor se negaverit fidejussorem ; & postea fuerit probatum ipsum esse fidejussorem , eaque pena mendacio non est indigna , quia Leges mendacia severe prohibent & mendaces odio habent l. 11. §. 3. ff. de Interrog. in iure factend. l. 49. §. 30ff. de Fact. l. 2. C. ff. Minor se major. dix. Mæv. ad Jus Lubec. Lib. III. Tit. V. art. 1. n. 17. Coleri de Process. Execut. P. 1. C. 10. n. 397. Hippol. de Marsil. de fidejuss. n. 19. & 322. Et quamvis in iure nulla certa pena mendacio sit constituta , attamen in multis casibus Leges mendacia & inficiationem puniunt , vel penam infligendo , vel beneficium auferendo. l. 10. §. 1. ff. fidejuss. & quidem haec locum habent , si dolo , scienter & in fraudem negatio fuerit facta. d. t. 10. Ant. Thesaur. Dec. 50. n. 3. Hinc excusat , qui ex ignorantia & sine dolo malo se fidejussorem negavit. Thesaur. d. t. n. 4. Mo-

de ignorantia non sit crassa & supina, e. g. Hæredes fidejussionum justam causam ignorantiae habent. *l. 42. ff. de Reg. Jur.* & quoniam dubitans etiam habetur pro ignorantie. *l. 1. pr. ff. de Legat.* 3. ideo fidejussores, qui fortassis animo dubio & incertâ mente, oblivionem allegando, fidejussionem negavit, non perdit beneficium excussionis. *l. ult. C. de Condit. Indeb.* Hering. *de fidejuss. c. 27. P. 1. n. 218.*

X I. X.

VII. Non est audiendus fidejussores exceptionem Ordinis opposens, si bona principalis debitoris secum habeat. *l. 8. §. 7. ff. Mandat.* Mæv. *ad Jus Lubec. Lib. III. tit. V. art. 1. n. 27.* tum enim habet unde creditori potest satisfacere. VIII. Cessat hoc beneficium, quando fidejussores impedivit excussionem, quæ fiebat contra ipsum debitorem principalem; damnum enim, quod sentit, suâ culpa sentire videtur. Quando enim ipse non est passus excussionem fieri contra debitorem principalem, non potest ulterioris petere, cum agitur contrâ eum, ut fiat excusatio contra principalem reum, ipse enim venit contra illam excussionem, quæ contra principalem fiebat, eam nempe impediendo, adeò non debet audiri rursus petens excussionem fieri. *l. 5. C. de Oblig.* & *Action.* Hippol. de Marfil. *de fidejuss. n. 15.* Hering. *de fidejuss. c. 27. P. 1. n. 283.* IX. Excluditur ab hoc beneficio fidejussores ludi, is enim plerumque pignus vel præmium capit. Mæv. *ad Jus Lubec. Lib. III. Tit. V. art. 1. n. 30.* Hering. *de fidejuss. C. 27. P. 1. n. 314.* X. Fidejussores privatur hoc beneficio, si promiserit se, cum compellabitur, solutarum debitum, mox, illico, confessim, incunctanter & sine dilatione, vel simili modo. Mæv. *d. l. n. 32.* Hering. *d. l. n. 319.*

X X.

¹⁵ Denique XI. cessat hoc beneficium, si consuetudine vel statuto receptum, quod fidejussores statim ab initio possit conveniri, qualis consuetudo est in multis locis Italica teste Joh. Bapt. Asin. *de execut. c. 2. n. 28.* Talis consuetudo etiam est in Austria, ubi fidejussores necessariè ante principalem debitorem sine excusione debet conveniri, si enim principalis debitor ibi priùs convenitur,

14 DISPUTATIO JURIDICA

tur, tum fidejussor liberatur, attestante Gail. 2. *Obs. 27. n. 30.* Posse autem tale quid consuetudine introduci, nullum est dubium, consuetudo enim legi scriptæ derogat. *I. ult. C. fin. ff. de Legib.* & pacto beneficium excussionis tolli potest. *I. ult. C. de fidejuss.* quidni etiam consuetudine. Imò per talem consuetudinem ad Jus vetus redditur, quo liberum erat creditori fidejussorem convenire, non excusso reo principali. *I. 2. 3. 5. 16. 19. C. de fidejuss.* Gail. 2. *Observ. 27. n. 29.* Mæv. ad *Jus Lub. Lib. III. Tit. V. art. 1. n. 33.*

X X I.

Postquam hæc tenus consideravimus, quæ de Beneficio Excussionis breviter dici potuerunt, restat jam, ut etiam videamus Actiones, quibus fidejussor, si debitum creditori solvit, contra principalem debitorem iterum uti possit. Prima autem Actio quæ competit fidejussori, est Actio mandati Contraria, si scilicet se obligavit mandato debitoris. *I. 4. pr. de Fidejuss. I. 20. pr. ff. Mandat. I. 10. §. 11. Mandat.* eoque vel expresso vel tacito v. g. si fidejusserit pro debitore præsente & tacente *I. 6. §. 2. ff. Mandat. I. 18. eod.* Secunda Actio; quæ ipsi competit est Actio Negotiorum gestorum. *I. 4. pr. ff. de Fidejuss.* si scilicet sine mandato fidejusserit pro absente amico. *I. 20. §. 1. Mandat.* hoc enim casu actio mandati non potest invenire locum, quia non præcessit mandatum nec ratihabitio est secuta. *I. 20. §. ff. Mandat. I. 6. §. 2. eod. I. 4. ff. de Negot. Gest.*

X X I I.


Ut autem has Actiones fidejussor possit instituere, requiritur ut debiti solutio sit facta verè & actualiter, & ut illa postea de bito modo probetur. Probatur autem illa (1) Per testes, & quidem si debitum sit contractum in scriptis, quinque requiruntur. *I. 18. C. de Testib.* (2) Probatur solutio per Instrumenta, fides enim instrumentorum in exercendis litibus eandem vim obrinet, quam depositiones testium. *I. 15. C. de Fid. Instrum. Coler. de Process. Execut. P. 2. C. 2. n. 50.* Quando igitur dicto modo vel per testes vel per instrumenta fidejussor debiti solutionem probavit, ipsi dictæ actiones non sunt denegandæ. Ille enim solvendo & fidejubendo, non gerit proprium negotium, sed rei principalis.

b. 2.

I. 2. §. 1. ff. Mandat. hinc consequens est, ut ipsi sit concedendus regressus contra debitorem principalem. *I. 6. 10. C. Mandat.*

XXXII.

Has verò Actiones non potest fidejussor intentare. (1) Si donandi animo intercessit. *I. 6. §. 2. ff. Mandat.* tum enim sibi per liberalitatem suam præclusit regresum contra principalem debitorem. (2) Si pro invito & contradicente fidejussit. *I. 6. §. 2. ff. Mandat.* tum enim non censetur gerere negotia principalis debitoris, sed donare *I. ult. C. de Negot. Gest. I. 40. ff. Mandat.* (3) Si omisit Exceptiones sibi competentes. *I. 10. §. 12. ff. Mandat.* hoc autem tum demum procedit, si sciens illas omiserit, si enim ex ignorantia omiserit, excusatur. *d. I. 10. §. 12.* (4) Si injuriā judicis in bonā causā condemnatus omisit appellationem. *I. 10. C. Mandat.*



COROLLARIA.

Consuetudo non introducitur decennio neque duobus actibus.

Consuetudo abrogat Legem scriptam, eaque tam per actus extrajudiciales, quam judiciales introducitur.

Condictio furtiva in heredes furis datur in solidum.

I V.

Species cum quantitate non potest compensari.

V.

Tutor confirmatus magis dicendus dativus, quam testamentarius.

V I.

Fidejussor qui se obligat in summam majorem tenetur quo ad concurrentem.

F I N I S.